


Observationes

in

aliquot locos

Agamemnonis Aeschyleæ,

quas

pro stipendio Collegii Medicei conscriptas

die XXVIII Iunii h. VI postmerid.

defendere conabitur

Carolus Guil. Elberling,
Philologiæ Candidatus.

Havniæ MDCCCXXVIII.

Typis excudebat Andreas Seidelin,
Aulæ Regiæ & Universitatis Typographus.

igitur (v. 552) πεπληγμένοι *) et locum ita explicat: "Chorus: *Nempe desiderio* vos *redamantium* et vicissim vos desiderantium icti eratis. Hæc arctissime, ut fit in sermonibus alternis, cum v. 553 (531 W. 545 P.) cohærent, eique explicando inserviunt. Heathius veram huius sententiæ vim nonnihil pervertit, sic vertendo: *Intellexeris nimirum, si eorum desiderio captus fueris, qui te vicissim desiderabant.* Imo Chorus neganti præconi, se, qualis iste *iucundus morbus* sit, intelligere, respondet, se desiderium innuisse, quo tamen milites non magis, quam ipsi qui domi manserint affectos fuisse ait." Quasi non eadem nostræ lectionis sententia sit. Sed Schützium, quominus verum videret, prohibuit, quod versum proxime præcedentem ita distinguere malebat:

Πῶς δή; — διδαχθεὶς τοῦδε δεσπόσω λόγου.

Hanc distinctionem et πεπληγμένοι (quod etiam Butlero placuit) recepit Blomfield; quod de exercitu sermo sit et πεπληγμένοι referendum ad ἐπήβολοι v. 528 W. (542 P.). Sed sermone ita distincto ferri non posse πῶς δή recte vidit Bothe **), qui propterea ex sua coniectura edidit:

Ποίας; διδαχθεὶς τοῦδε δεσπόσω λόγου.

---

*) Idem coniecit Tyrwhitt (Coniect. in Aeschyl., quæ adiectæ sunt editioni Lipsiensi Blomfieldi Septem contra Thebas, pag. 174).

**) Locorum enim a Blomf. allatorum — Eumenid. 192 (201), 571 (601), Eurip. Helen. 1262 Musgr. (1246 Matth. 1188 Both.) — alia ratio est; ibi enim in-

Schützii πεπληγμένοι etiam Humboldt et Voss vertendo expresserunt, sed ita, ut post eam vocem interrogationis signum posuerint. Veram lectionem Wellauer restituit, sed mira causa allata: "redit Chorus ad singularem, quo vs. 526 (540 P.) usus erat." Versus hic est:

Ἔρως πατρῴας τῆσδε γῆς σ' ἐγύμνασεν;

Iam si Wellauerum recte intelligo, hoc voluit, Chorum, quum diceret σέ, non de solo præcone cogitasse, sed de omnibus militibus, tum de iisdem v. 528 (542) plurali numero usum esse, et denique v. 530 (544) ad singularem rediisse; quæ sane mira foret loquendi ratio. Quid tandem prohibet, quominus πεπληγμένος ad διδαχθείς referatur, et locus ita explicetur, ut initio dixi?

Vs. 553 sqq. Well. (567 sqq. Pors..)

Τί ταῦτα πενθεῖν δεῖ; παροίχεται πόνος·
Παροίχεται δὲ, τοῖσι μὲν τεθνηκόσιν,
Τὸ μήποτ' αὖθις μηδ' ἀναστῆναι μέλειν.
κ. τ. ἑ.

In his versibus explicandis interpretes in diversas partes abierunt, sed eorum commenta enu-

---

terrogatio ad integram sententiam refertur, hic autem Præco nihil aliud rogare potest, nisi quænam sit ista νόσος τερπνή, quam chorus commemoravit. Ceterum in loco laudato Euripidis editiones, quas consului, habent πῶς δαί; quod Matth. defendit ad Eurip. Hec. 1232.

merare et refellere longum foret. Paucis igitur dicam, quo modo locus interpretandus mihi videatur, in quo utar iis, quæ in superiorum explicationibus mihi placeant, omittam, quæ minus. Præco, enumeratis malis, quibus exercitus Græcorum terra marique affectus fuit, ita concludit: *Cur vero hæc lugere opus est? transiit labor; transiit vero, mortuis quidem, ut ne resurgendi quidem sit illis desiderium* *) — *Quid mortuos ad calculum re-*

---

*) Mira est Bothii observatio: "Occisos ante Troiam Græcos ne resurgere quidem, si datum fuerit, desideraturos, cum bellum feliciter finitum sit, triste et μισάνθρωπον commentum est, Graiorum ingenio, minime mystico, indignum." Ergo etiam hoc mysticum est Æschyli commentum (Sept. Theb. 666 W. 684 P.).

Μόνον γὰρ κέρδος ἐν τεθνηκόσι.

(ibi v. 665 (683) κακὸν potius de *vita* quam cum Well. de *morte* explicandum est); et hoc Sophoclis (Oed. Colon. 1225 sqq. Br.):

Μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νι-
κᾷ λόγον· τὸ δ', ἐπεὶ φανῇ,
βῆναι κεῖθεν ὅθεν περ ἥ-
κει, πολὺ δεύτερον, ὡς τάχιστα.

et hoc Euripidis (in Cresphonte ap. Stobæum Tit. 120, 22 ed. Gaisf. T. 3. pag. 404 ed. Lips. et Clem. Alex. Strom. III. pag. 517 ed. Potter. Cfr. Cic. Tuscul. I. 48):

Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς, σύλλογον ποιουμένους,
Τὸν φύντα θρηνεῖν, εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά·
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

censere, quid autem adversam *) *fortunam dolere vivum oportet? Quin multum valere iubeo calamitates. Nobis autem, qui ex Argivorum exercitu supersumus, lucrum superat, neque id damnum aequiparat.* Δὲ, quod est in v. 559 (573), referendum est ad μὲν in v. 554 (568), et sententiarum tenor hic esse videtur: *Labor ita transiit, ut neque mortui eius amplius reminiscantur, quippe qui ne resurgere quidem, si detur, velint, neque vivi eum commemorare debeant, quibus postea data sit victoria.* Hanc quum exprimere primariam sententiam vellet, facta mortuorum mentione, res quasi eum monuit, ut quot periissent Achivorum enarraret; sed se quasi reprimens nullam causam esse ait, cur, qui ex bello supersit, commemorando et dolorem, quem morte eorum, qui defuncti sint, ceperit, et cetera incommoda sua communem laetitiam turbet.

Iam si haec Aeschyli sententia est, nullam causam esse, cur δέ v. 557 (571) in τέ mutetur,

---

Accedat his Herodoti dictum (I. 31): διέδεξε ἐν τούτοισι ὁ θεὸς, ὡς ἄμεινον εἴη ἀνθρώπῳ τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζώειν. Neque enim ad Socratem philosophum audeo provocare (Plat. Apolog. p. 40 sqq.), neque ad recentiorem scriptorem, Artemidorum (Oneiroc. IV. 72 extr.): μόνος εὐδαιμονῶν, ᾧ μηδὲν μέτεστι κακοδαιμονίας. Τοιοῦτος δέ ἐστιν ὁ ἀποθανών.

*) Ita recte Blomf. cum Stanl. explicat τύχης παλιγκότου: de hoc vocabulo infra dicam.

nemo dubitabit, qui usum particulæ δὲ in scriptoribus Græcis paulo attentius consideraverit (vid. Matth. Gram. Gr. §. 616. 3. pag. 1245 sqq. ed. alt.). Unum modo ex hac fabula exemplum afferam v. 1596 sq. (1613 sq.):

Σὺ δ' ἄνδρα τόνδ' ἔφης ἑκὼν κατακτανεῖν,
Μόνος δ' ἔποικτον τόνδε βουλεῦσαι φόνον.

Cfr. Agam. 1111 sq. (1140 sq.), 1242 sq. (1269 sq.), 1400 sq. (1426 sq.), 1581 sq. (1599 sq.), Eumenid. 126 (131), 263 sqq. (273 sqq.), fragm. Carmin. Cyprior. ap. Clement. Alex. Protrept. p. 19 (p. 39 Henrichsen), ubi δὲ defendere videntur exempla, quæ Elmsley collegit ad Med. 940.

Sed multo minus ferenda est ratio Blomfieldi: "Coniungenda παροίχεται τὸ μηδὲ μέλειν τοῖς τεθνηκόσι μήποτ' αὖθις ἀναστῆναι. *Præteriit vel resurgendi desiderium.* Non vero παροίχεται πόνος, ὥστε αὐτοῖς μηδ' ἀναστῆναι μέλειν. Hanc enim constructionem non patitur articulus, τὸ μέλειν." Ut nihil dicam de negationibus μηδὲ — μήποτε, quæ, si recte video, in hac constructione ferri nullo modo possunt, in τὸ μέλειν cur hæreamus nulla causa est. Agam. 14 sq.

φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ,
Τὸ μὴ βεβαίως βλέφαρα συμβαλεῖν ὕπνῳ.

Ibid. 1142 sqq. (1169 sqq.):

ἄκος δ'
Οὐδὲν ἐπήρκεσαν,
Τὸ μὴ πόλιν μὲν ὥσπερ οὖν ἔχει παθεῖν.

Quæritur iam, utra antiquior sit significatio, ex qua altera derivanda. Scholiastes Aristophanis (ad Pac. 391 Inv.) usum Hippocrateum non ignorasse et inde huius vocis vim repetiisse videtur: *Μὴ γένῃ παλίγκοτος· ἀντὶ τοῦ ἐναντίος. μὴ ἐξ ὑποστροφῆς ὀργισθῇς πάλιν καὶ μετανοήσῃς ἐφ' οἷς ἡμᾶς εὐεργετῆσαι προθυμῇ τε καὶ διανοῇ* *). Hanc enim significationem loco Aristophaneo non convenire, perlegenti patebit versus 363-434 Dind. Tamen cum eo facit fere Damm (Lexic. Græc. Etymol. ed. Berolin. 1765. 4. p. 1336), qui hanc ponit vocabuli significationem: *retro iram aut tristitiam vertens, reverti semper faciens indignationem in animo*; his similia dederunt Schneider, Riemer, Passow. Mihi autem Hippocrates, aut quicumque primus hanc vocem hac significatione posuit, eam a vulgari usu deflexisse videtur, ut in artibus haud raro verba aliter usurpata esse invenimus atque in vulgari sermone. Utar, licet paulo timidius, observatione Aristarchi, quam veram esse nemo facile negabit, esse Homero *πάλιν* dictum *τοπικῶς*, non ut serioribus *χρονικῶς* **); significat igitur proprie *εἰς τοὐπίσω* ***), unde orta videtur altera apud Homerum

---

*) Hæc repetierunt Suidas et Phavorinus.

**) Hesych. s. v. *πάλιν* pag. 844, Heyne ad Il. ν. 3, Vol. VI. pag. 366. Cfr. Schol. Iliad. α. 59. λ. 326.

***) Apollon. Lexic. Hom. pag. 525 ed. Toll. cfr. Schol. Il. β. 276. Etymol. Magn. pag. 648, 18. *πάλιν σημαίνει τρία· τὸ εἰς τοὐπίσω, ὡς τὸ Χειρὶ πάλιν ἐρύσαντο* (Il. ε. 836). *καὶ τὸ ἐκδευτέρου, ὡς τὸ* O

significatio *adversus*, *contra*, ut πάλιν ἐρέει al. (vid. Passow in Lexic.). Hæc significatio in nonnullis compositis valere videtur, ut in παλίγγλωσσος *) et παλίμφημος **); eademque, nisi fallor, in παλίγκοτος valet, ut primum significet *eum*, *qui iram* ***) *adversus aliquem gerit*, tum *adversarium* et sim. ****).

θήν μιν πάλιν ἀνήσεται θυμὸς (Il. β. 276). σημαίνει καὶ τὸ ἐξεναντίας, ὡς τὸ Οὔ τίς τοι τὸν μῦθον ὀνόσσεται οὐδὲ πάλιν ἐρέει (Il. ι. 56).

*) Hesych. παλιγγλώσσῳ· βλασφήμῳ. Pollux II. 4, 109 παλίγγλωσσον, τὸν δύσφημον (cfr. eumd. VI, 37, 164). Occurrit in Pind. Nem. I. 88 sq. παλίγγλωσσον δέ οἱ ἀθάνατοι ἀγγέλων ῥῆσιν θέσαν (Schol. τὴν ἐναντιόφημον, τὴν ἐναντίον τοῖς προηγγελμένοις τὸν λόγον ἔχουσαν): Isthm. VI. 35 (V. 23 Boeckh.) οὐδ' ἔστιν οὕτω βάρβαρος οὔτε παλίγγλωσσος πόλις (Schol. τὴν γλῶσσαν ἀλλόκοτος πόλις).

**) Etymol. Magn. pag. 648, 51. Παλίμφημα, κακὰ, ἐναντία. Hesych. Παλίμφημα· κακόφημα, δύσφημα, βλάσφημα. Suidas: Παλίμφημα· δύσφημα, κακά, ἐναντία. Phavorin. Παλίμφημα, κακά, ἐναντία, κακόφημα, δύσφημα. Παλίμφημον, βλάσφημον· τὸ παλίμφημον δόγμα. Legitur in Tryphiod. 423 Wern. et Eurip. Ion. 1096 Matth. (1111 Herm.), si vera est hæc lectio ibi ex H. Stephani coniectura reposita. Exempla ex recentioribus scriptoribus dedit Alberti ad Hesych. s. v.

***) Κότος est ira penitus infixa et permanens (H. Steph. pag. 5276 sq. Damm l. c.); nam quod Blomfield ait (Gloss. ad Sept. v. 804): "κότος proprie est *indoles*", vereor ut probare possit.

****) Aliis fortasse magis placebit vim epitaticam particulæ πάλιν (vid. Passow s. v.) huc advocare, ut

Iam vero ex ceteris vocabulis, quæ a *κότος* derivari putantur, quæ ex adiectivis formantur (nam in *ἄκοτος*, *ἔγκοτος*, *ἐπίκοτος*, *ζάκοτος*, et quæ inde derivantur, *iræ* significatio obtinet), si revera ex adiectivo et *κότος* composita sunt, *iræ* notionem prorsus amisisse videntur, ut adiectivi tantummodo supersit. Sunt vero hæc:

Ἀλλόκοτος. Hoc nihil aliud significare nisi quod alius quam vulgaris generis est, fatentur omnes, ut hoc probare necesse non sit. Quum autem VV. DD. non invenirent, quomodo hæc significatio cum compositione ex *κότος* facta conciliari posset, putabant, vocabulum *καθ' ὑπερβιβασμὸν* dictum esse pro *ἀλλότοκος* (H. Steph. Thes. pag. 9477, Passow); sed, nisi fallor, hoc aut de omnibus vocabulis, de quibus nunc dico, iudicandum est, aut ne de hoc quidem valet.

Βαρύκοτος. Æsch. Eumen. 750 (780), 777 (810): *Ἐγὼ δ' ἄτιμος ἡ τάλαινα βαρύκοτος, ἐν γᾷ τᾷδε — ἀντιπαθῆ μεθεῖσα κραδίας σταλαγμὸν χθονὶ ἄφορον κ. τ. ἑ.* Non nego commode hic verti posse *gravi ira commota*; quum vero *βαρύς* ab hac significatione non multum discedat, ut Eumen. 690 (720) et 892 (932), hoc contra me non erit.

παλίγκοτος sit *valde iratus*; sic *παλιμμήκης* (Æsch. Agam. 189 VV. 196 P.), *παλίγκραιπνος*, *παλίσκιος*. Hesych. (2. pag. 845): *Παλίσκιος, σύσκιος, σκοτεινός, ζοφώδης· τὸ γὰρ πάλιν ἐνιαχοῦ ἐπίτασιν δηλοῖ· ὡς Παλινκάπηλος, Παλίμπρατος.* Eadem fere habent Suidas et Phavorinus s. v. *παλίνσκιος* et *παλινσκίῳ*.

Νεόκοτος, *novus*. Æsch. Sept. Theb. 785 (803) τί δ' ἐστὶ πρᾶγος νεόκοτον πόλει παρόν; Pers. 252 (256) Ἀνί, ἄνια κακὰ, νεόκοτα καὶ δάϊα κ. τ. ἑ.

Μεγαλόκοτος autem meæ sententiæ adversaretur, si aliud esset quam a grammaticis formatum vocabulum; nunc autem Græcis ne in usu quidem fuisse puto. Apollon. Lexic. p. 318 Toll. Ζάκοτος, μεγαλόκοτος, μεγάλως ἐγκοτητικός. Etymol. Magn. p. 407, 16. Ζάκοτος, ὁ ἄγαν ὀργίλος, ὁ μεγαλόκοτος· κότος γὰρ ἡ ὀργή. — Apollon. Lex. p. 318: Ζαφελῶς. ὁ μὲν Ἀπίων, μεγαλοκότως. Hesych. et Phavorin. Ζαφελῶς· μεγαλοκότως.

Superest *ὑπέρκοτος*, de quo vocabulo iudicare difficile est; raro enim occurrit neque ullo loco suspicionem effugit. Æsch. Agam. 796 sq. (822 sq.) πάγας ὑπερκότους ἐπραξάμεσθα: ex variis VV. DD. explicationibus sola huic loco convenire videtur Schützii: *sævas* (nisi mavis *graves*) *insidias perfecimus* *). Blomfieldo autem hæc vox nullius auctoritatis esse videtur, quare cum Heathio edidit ὑπερκόπους (coll. Gloss. ad Aesch. Sept. 387). Adverb. *ὑπερκότως* legitur in Agam. 455 (468): τὸ δ' ὑπερκότως κλύειν εὖ, βαρύ. Locum recte interpretatus est F. C. Petersen (Miscell.

*) Cfr. Agam. 348 sqq. (357 sqq.), 1086 sq. (1115 sq.), 1348 sq. (1375 sq.). Tyrwhitt (l. c. pag. 175) coniec. χάρπαγὰς ὑπερκ. ἐπραξ. *Quoniam et raptus odiosos vindicavimus*, poenas sc. eorum exigendo. Equidem nullam video mutandi necessitatem.

Ibid. 1570 sq. (1588 sq.):

μοῖραν εὗρετ᾽ ἀσφαλῆ,

Τὸ μὴ θανὼν πατρῷον αἱμάξαι πέδον.

Eumenid. 210 sq. (219 sq.):

Εἰ τοῖσιν οὖν κτείνουσιν ἀλλήλους χαλᾷς,

Τὸ μὴ γενέσθαι *), *μηδ᾽ ἐποπτεύειν κότῳ.*

Cfr. ibid. 874 sq. (914 sq.), Plat. Apol. pag. 35. E. Alia exempla dederunt Hermannus ad Soph. Aiac. 114 et Matthiä Gram. Gr. §. 543 pag. 1065 sqq.

Superest quæstio de *παλίγκοτος* eique cognatis vocabulis, de quibus licet non omnia, quæ cupiam, habeam collecta, ea tamen, quæ aliorum doctrinæ copiis **) adiutus conquirere potui, hic afferam, fore sperans, ut aut ipse aliquando meliora dare possim, aut hæc res ab alio melius tractetur.

Iam vero quærentibus, qua significatione vocabulum *παλίγκοτος* a poetis veteribus ***) usurpatum sit, apparebit, id non male interpretatum esse Suidam ****) s. v. *παλίγκοτος· ὀργίλος, στυγνός, φοβερός,*

---

*) Optime F. C. Petersen, V. Cl., in Observ. in Æsch. Eumen. Part. I. (Program. a. 1827) pag. 10 legendum coniecit *τὸ μηδ᾽ ἕπεσθαι.*

**) Monendum putavi, me in his observationibus conscribendis ubique consuluisse Thesauri Stephaniani editionem Londinensem.

***) Recte enim Foësius (Oeconomia Hippocratis, Genevæ 1662 fol. pag. 288) hoc vocabulum *valde poeticum et Ionicum* appellat.

****) Suidam exscripsit Phavorinus. Apud ceteros Grammaticos hæc inveni; Etymol. Magn. pag. 648, 2

ἐναντίος. Cum eo facit fere Boeckh (ad Pind. Olymp. II. 21), qui recte, παλίγκοτος, ait, est *adversus*, *adversarius*, *odiosus*, *infestus*. — Vocabulum ipsum apud scriptores *Pindaro* antiquiores non inveni; apud eum duobus locis occurrit: Olymp. II. 36. Heyn. πῆμα παλίγκοτον (Schol. τὸ τραχὺ πῆμα). Nem. IV. 155 sq. Μαλακὰ μὲν φρονέων ἐσλοῖς, τραχὺς δὲ παλιγκότοις ἔφεδρος (Schol. χαλεπὸς τοῖς ἐναντίοις ἐφεδρευτής). In *Aeschylo* præter eum, de quo agitur, locum ter invenitur: Agam. 837 (863) et 848 (874) κληδόνες *) παλίγκοτοι (rumores odiosi); Supplic. 371 (376) Ἄγος μὲν εἴη τοῖς ἐμοῖς παλιγκότοις (Schol. ἐχθροῖς). *Aristophanes* Pac. 393 sq. Dind. μὴ γένῃ παλίγκοτος ἀντιβολοῦσιν ἡμῖν (noli precibus nostris adversari). *Theocritus* XXII. 58. Ἄγριος εἶ, πρὸς πάντα παλίγκοτος ἠδ' ὑπερόπτης (in omnibus molestus). *Moschus* IV. 92. παλίγκοτος ὄψις (visum infaustum). *Agathias* (Epig. XIX. v. 7 sq. in Iacobs.

παλίγκοτος, ὁ μνήμων τοῦ κότου, ἀπὸ τοῦ πάλιν καὶ κότος ἡ ὀργή. Hesych. παλίγκοτα· οὐκ ἀξιόχρεα, ὀργίλα, ἐχθρά, καὶ τὰ ὅμοια. Idem s. v. ἰοβόρον. παλίγκοτον, ἤγουν ὀργίλον, σκολιόν, ἐχθρόν. Pollux III, 27, 131 in capite περὶ ἀνυποίστου καὶ τοῦ ἐναντίου inter alia enumerat: δυσχερές, δύσπρακτον, παλίγκοτον, παλίμβολον κ. τ. ἑ. VI, 37, 164 inter Σύνθετα ἐκ τοῦ πάλιν commemoratur παλίγκοτος, sed est hæc Kühnii emendatio pro παλίγκοπος.

*) V. 837 legitur quidem in codd. ἡδονὰς παλιγκότους, sed ex certissima Stanleii coniectura editur κληδόνας παλιγκότους.

Anthol. Græc. T. IV. p. 10, Anthol. Pal. V. 280, Delect. Epigr. V. 83):

Κύπρις γὰρ τὰ μὲν ἄλλα παλίγκοτος· ἓν δέ τι καλὸν
Ἔλλαχεν, ἐχθαίρειν τὰς σοβαρευομένας.

(Venus in ceteris molesta est). — Adverbio παλιγκότως usus est *Herodotus* IV. c. 156: μετὰ δὲ αὐτῷ τε τούτῳ (Βάττῳ) καὶ τοῖσι ἄλλοισι Θηραίοισι συνεφέρετο παλιγκότως: i. e. *male iis cessit.* Errat enim Schweighaeuser, qui vertendum censet *denuò male cessit*, ad cap. 151 respici monens. Hoc quidem verum est; sed qui accuratius cap. 150-155 perlegerit, videbit, Herodotum duabus narrationibus positis ad cap. 151 ita respicere, ut *idem* malum iterum commemoret, non vero ita, ut hic *alterum* a superiore diversum. — Usus est etiam *Euripides* in Oenomao apud Stobæum Tit. 99, 8. (3. p. 264 Lips.):

Ἔνεστι πάντων πρῶτον εἰδέναι τουτὶ,
Φέρειν τὰ συμπίπτοντα μὴ παλιγκότως.

(ea, quæ accidunt, non ægre ferre).

Prorsus alia ratione hoc vocabulum aliaque ei cognata, quæ apud alios scriptores non videntur occurrere, ab Hippocrate usurpata inveniuntur, cuius usum exposuit Foësius (l. c.); Galenus (in Hippocratis Libr. II. de fract. T. V. p. 547, 40 edit. Galeni, Basil. 1538 fol.) hæc habet: τὰ κακοήθη παθήματα παλίγκοτα καλεῖ, καὶ τὸ παλιγκοταίνειν τὸ οἷον πάλιν κακοηθεύεσθαι: hoc est, Foësio interprete, *affectus qui recrudescunt et maligni fiunt* et *recrudescere, rursus malignum fieri aut excandescere.* Hac quidem significatione sæpius in

Hippocratis scriptis hæc vocabula leguntur, quatenus artis medicæ imperitus iudicare potest. Afferam locos Hippocrateos, quos partim Foësio debeo, partim doctissimis Thesauri Stephaniani editoribus Londinensibus (pag. 5277 sq.). Παλίγκοτος legitur de Artic. p. 796 Foës. (3. p. 169 Kühn.) et in Mochlic. p. 851 (3. p. 283); παλιγκώτατον de Artic. p. 794 (3. p. 166), sed hoc corrigendum videtur ex Mochlic. p. 850 (3. p. 280), ubi in eorundem verborum repetitione legitur παλιγκοτώτατον. De Morb. Vulgar. lib. II. p. 1017 F. (3. p. 442) legitur in ed. Kühnii παλιγκοτάτοισι: Foësius legendum censuit παλιγκοτωτάτοισι, Struve autem (in Append. Lexic. Schneideri p. 137 sq.) παλιγκότοισι, probantibus Edd. Thes. Steph. Lond. p. 5277 extr. Equidem de loco, quem prorsus non intelligo, iudicare non possum. — Verbum παλιγκοτέω legitur de Fract. p. 760 (3. p. 85), de Artic. p. 806 (3. p. 188), p. 840 (p. 269), p. 841 (p. 270), de Morbis Vulg. lib. IV. p. 1128 (3. p. 523): παλιγκοταίνω de Morbis Mulier. lib. II. p. 663 (2. p. 842), de Fract. p. 760 (3. p. 85 *) et 86). Substantivum παλιγκοτία de Locis in homine p. 422 (2. p. 145), de Artic. p. 830 (3. p. 245), et παλιγκότησις de Fract. p. 772 (3. p. 116) **).

---

*) Hoc loco legendum videtur: σημεῖα δὲ τάδε, ἢ (ed. Kühn. ἢν) παλιγκοταίνει ἢ οὔ.

**) His adiungam Phavorini glossam: Ἐκπαλινκοτεῖν, ἐναντιολογεῖν. Idem vel potius ἐκπαλιγκοτεῖν restituendum esse Hesychio, ubi legitur ἔκπαλιν κοτεῖν· ἐναντιολογεῖν, Is. Vossius vidit.

Hafn. I. 2. pag. 73 sqq.), *immodice* *) *laudari grave est;* frustra enim Wellauer cum aliis: *cum magna populi invidia laudari grave est.* Iterum Blomf. cum Pearsono al. ὑπερκόπως. — Eurip. Herc. Fur. 1059 Matth. (984 Both.): ὦ Ζεῦ, τί παῖδ' ἤχθηρας ὧδ' ὑπερκότως τὸν σόν. Etiam hic recte verti potest *immodice;* sed Wakefield et Blomfield legi volunt ὑπερκόπως, *non sine causa,* iudice Matthiä, *voces* ὑπέρκοτος, ὑπερκότως *suspectas habentes.* Licet vero mihi audacius videatur vocabulum damnare, quod tribus locis sine varietate scripturæ legitur, negare tamen non audeo, hoc vocabulum analogiæ legibus adversari videri; nam in vocabulis ex κότος et particula aliqua compositis obtinere videtur *iræ* significatio, quæ tribus, quos posui, locis commode tribui non potest; neque dicere licet, de hoc vocabulo idem valere, quod de ἀλλόκοτος, βαρύκοτος, νεόκοτος, quum ὑπέρ tantummodo epitaticam vim habeat.

Vs. 764 sqq. Well. (790 sqq. Pors.).

Τῷ δυσπραγοῦντι δ' ἐπιστενάχειν
Πᾶς τις ἕτοιμος· δῆγμα δὲ λύπης
Οὐδὲν ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται·
Καὶ ξυγχαίρουσιν ὁμοιοπρεπεῖς
Ἀγέλαστα πρόσωπα βιαζόμενοι.

Recte quidem, ut mihi videtur, Blomfield et Wellauer lectionem v. 767 (793) καὶ ξυγχαίρουσιν

---

*) Sic etiam glossa in cod. olim Farnesiano nunc Neapolitano, ex quo enotata a P. Elmsleio varie

contra Hermannum defendunt, qui ex Stobæo Tit. 112, 12 (3. pag. 359 Lips.) legi voluit Νυκὶ δὲ χαίρουσιν ὁμοιοπρεπεῖς. Utique enim h. l. commemorantur ii, qui quum videri malint quam esse, et dolorem et lætitiam fingunt. Sed quod Wellauer censet, ξυγχαίρουσιν esse dativum participii, hoc mihi quidem non persuasit. Ut enim concedam, ferri h. l. posse omissionem articuli *) et verbi εἰσί, tamen sic aliquid ad sententiæ integritatem deesse videtur, aliquid, quod respondeat v. 765 sq. (791 sq.): δῆγμα λύπης οὐδὲν ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται. Vult enim Æschylus, eos dolorem simulare, quum non doleant, lætitiam, quum non lætentur; hoc inesse videtur vocabulo ὁμοιοπρεπεῖς, quod recte cepisse Vossium puto:

Mitfreud' auch geberden sie, gleich so geschickt,
Unlachende Mien' aufheiternd mit Zwang.

Difficile quidem est quidquam de ὁμοιοπρεπής affirmare, quod nisi hoc loco non videtur occurrere; sed, nisi fallor, adiectivo h. l. ita usus est Ae-

---

tas scripturæ legitur in Museo Critico Cantabrig. N. VII. pag. 457. et in Lipsiensi editione Agamemnonis Blomfieldi pag. 297 sqq.: ὑπερκότως· ἤγουν τὸ λίαν ἁπλῶς.

*) Vid. Matth. Gr. Gr. §. 271 Not. pag. 556 sq. — A singulari numero ad pluralem et a plurali ad singularem sæpe transiri notum est; cfr. Eumenid. 303 sqq. (313 sqq.), 321 sqq. (335 sqq.), 631 (661); Sept. Theb. 178 sqq. (196 sqq.).

schylus, ut potuisset etiam adverbio ὁμοιοτρόπως uti, quod fere idem valeret quod ὁμοίως, *similiter, eodem modo.* Sic Agam. 50: ὕπατοι λεχέων στροφοδινοῦνται. 1025 (1055): Οὔτοι θυραίαν τήνδ' ἐμοὶ σχολὴ πάρα τρίβειν. Plura vide in Matth. Gram. Gr. §. 446. 8. pag. 834. Ceterum συγχαίρω rarius ut hoc loco sine dativo personae videtur occurrere; sic Anacr. III. 30. ξένε δ' εἶπε συγχάρηθι.

Vs. 869 sq. Well. (895 sq. Pors.).

Νῦν ταῦτα πάντα τλᾶσ' ἀπενθήτῳ φρενὶ,
Λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε, τῶν σταθμῶν κύνα κ. τ. ἑ.

Sic omnes, quas vidi, editiones hunc locum distinguunt, nisi quod Bothe et Dindorf omnem distinctionem sustulerunt. Sed nemo facile intelliget, quomodo Clytæmnestra, doloribus suis commemoratis, dicere possit, se hæc omnia *animo tristitia liberato* *) pertulisse. Distinguendum est, quod iam Pauw et Schütz viderunt:

Νῦν, ταῦτα πάντα τλᾶσ', ἀπενθήτῳ φρενὶ
Λέγοιμ' ἂν κ. τ. ἑ.

---

*) Hoc enim significare ἀπένθητος dubium esse non potest et recte vidit Schütz. Cfr. Aesch. Eumenid. 872 (912).

Nescio equidem, quid recentiores prohibuerit, quominus ita distinguerent, et cur potius ad novas significationes vocabulo ἀπένθητος affingendas confugerint. Bothium fere crederem voluisse, Clytæmnestram data opera ambigue locutam fuisse, nisi in eius interpretatione legerem: *iam vero ista omnia haud gravate ferens, dixerim* &c. Blomfieldi hæc est observatio (in Glossari): "Ἀπένθητος. *Dolori mimine succumbens.* Suspicatur tamen Maltbius ᾱ vim suam intensivam exserere." Vide, quid faciat virgula male posita! Quomodo locum intellexerint interpretes Germanici, non satis scio. Humboldt dedit:

Ietzt da ich, *unglückfreie*, erduldet alles dies,
Mag wohl ich nennen &c.

Voss:

Nun ich das alles überstand, *gramloses Sinns*,
Wohl nennen darf ich &c.

Versum autem 823 (849), ut hoc obiter moneam, melius distinguunt Humboldt et Voss:

Ἦ τοι κέαντες ἢ τεμόντες, εὐφρόνως
Πειρασόμεσθα πῆμ' ἀποστρέψαι νόσου.

quam ut eum cum aliis edidit Wellauer:

Ἦ τοι κέαντες, ἢ τεμόντες εὐφρόνως,
Πειρασόμεσθα κ. τ. ἑ.

Etiam hoc recte fecit Voss, quod v. 1067 Well. restituit interpunctionem *), quæ ante Schützium vulgo legebatur:

---

*) Eandem retinuit Dindorf v. 1096.

Κλαιόμενα τάδε βρέφη, σφαγὰς,
Ὀπτάς τε σάρκας πρὸς πατρὸς βεβρωμένας.

Nescio equidem, quid Schütz spectaverit, quum sublata virgula iungeret *κλαιόμενα τάδε βρέφη σφαγὰς* idque ita interpretaretur: *umbras nimirum puerorum querentes cædem suam.* Pulchram sane imaginem! pueros flentes, quod interfecti sunt carnesque ipsorum a patre comestæ! *) Ne hoc dicam, difficile fuisse lacrimarum causam videre, hoc solum dicam, neminem probasse, iungi *posse* *κλαιόμενα σφαγάς*. Constat quidem *κλαίειν* cum accusativo iungi (Il. ω. 619. 773. Od. α. 363 al. Aesch. Sept. Theb. 1050=1058), constat dici *κλαίεσθαι* eodem sensu quo *κλαίειν* (Æsch. Sept. Theb. 903=920) **), quin constat Homerum (Il. υ. 210) dixisse *φίλον παῖδα κλαύσονται*: sed inde nondum sequitur, quemquam dixisse

---

*) Sic saltem Bothe etiam verba *ὀπτάς τε σάρκας* a *κλαιόμενα* pendere facit, neque aliud puto Schützium voluisse, cuius hæc verba sunt: "Sic in Raphaelis tabula, in qua extremum iudicium pinxit, martyres quoque surgunt, aliùs cutem sibi detractam ferens, aliùs cratem ferream, in qua a carnificibus tostus erat, ostentans &c." Sed hæc potius ad vs. 1192 sqq. (1219 sqq.) quam ad nostrum locum spectant.

**) Hoc tamen negare videtur H. Stephanus (Animadv. in libr. de Dialectis Artic. 85 pag. 65=1022 ed. Lond.), qui hoc saltem recte observavit, inde, quod Græci dixerint *κλαύσομαι*, non continuo sequi, eos dixisse *κλαίομαι*.

κλαίεσθαί τι. Ut paucis absolvam, tria sibi conspicere videtur Casandra, primum flentes pueros (sine dubio ob imminentem mortem), tum cædem, denique coenam Thyestæ. Ne quis autem mihi obiiciat, sic desiderari copulam, quæ σφαγάς cum βρέφη κλαιόμενα iungat *), pauca exempla afferam, ubi eodem loco posita est coniunctio. Agam. 1407 sqq. (1432 sqq.):

Μὰ τὴν τέλειον τῆς ἐμῆς παιδὸς Δίκην,
Ἄτην Ἐριννύν θ', αἷσι τόνδ' ἔσφαξ' ἐγώ.

Sept. Theb. 841 sq. (859 sq.):

Τὰν ἀστιβῆ Ἀπόλλωνι, τὰν ἀνάλιον,
Πάνδοκον, εἰς ἀφανῆ τε χέρσον.

Dubitari enim nequit, hæc omnia epitheta ad χέρσον pertinere et errare Blomfieldum (Gloss. v. 857), qui cum Spanhemio *Charontis navem* τὰν ἀ σ τ ι β ῆ Ἀ π ό λ λ ω ν ι *vocari* ait. Ita cum secundo nomine coniungi præpositiones notum est, vid. Hermann. ad Viger. p. 854, Well. ad Sept. Theb. 1023. et ad Eumen. 673.

Sept. Theb. 45 sq.

Ἄρην, Ἐννὼ, καὶ φιλαίματον Φόβον
Ὡρκωμότησαν κ. τ. ἑ.

Hic tamen Dindorf codd. auctoritate edidit:

Ἄρη τ' Ἐννὼ καὶ φιλ. κ. τ. ἑ.

---

*) Robortelli editio σφαγάς τε.

Vs. 1246 sq. Well. (1273 sq. Pors.).

Καλουμένη δὲ φοιτὰς, ὡς ἀγύρτρια,
Πτωχὸς, τάλαινα, λιμόθνης ἠνεσχόμην.

Sic cum aliis Wellauer. Heathio autem non placuit καλουμένη πτωχός, καλουμένη λιμοθνής, itaque coniecit κ ἀ λ ω μ έ ν η, ut sensus esset, *Quando autem vagabar misera, insana uti circulatrix, mendica, fame confecta, id sustinui.* Hanc coniecturam receperunt Schütz *) et Bothe, et probasse videtur Matthiä (Gram. Gr. §. 550. 7. b. p. 1080), qui verba ἀλωμένη ἠνεσχόμην explicat *sustinui errare*; Musgrave, Tyrwhitt (l. c. p. 176), Butler coniecerunt κ α κ ο υ μ έ ν η. Blomfield recte observavit, iungendum esse ἠνεσχόμην καλουμένη φοιτὰς, ὡς ἀγύρτρια, coll. Eurip. Heracl. 353. Elmsl. νικωμένη γὰρ Παλλὰς οὐκ ἀνέξεται (cfr. Sept. Theb. 234=252: Οὐκ ἐς φθόρον σιγῶσ' ἀνασχήσει τάδε; plura dabit Matth. l. c.). Sed Wellauerum audi: "Neque mutationes necessariæ sunt, neque ἠνεσχόμην καλουμένη iungendum est, quod putat Blomf., tum enim illud fit, in quo offendit Heath., ut καλουμένη πτωχὸς, καλουμένη λιμοθνὴς iungendum sit, sed constructio hæc est: καλουμένη δὲ φοιτὰς, ἠνεσχόμην πτωχὸς, τάλαινα, λιμοθνὴς οὖσα." Sed

*) Cuius interpretatio hæc est: *Ego vero interim oberrans sicut vagabunda circulatrix paupertatem, miseriam, mortis a fame periculum sustinebam.* Idem fere Bothe et Voss dederunt: Humboldt vulgatam lectionem et distinctionem secutus es

verba ita divellere et οὖσα addere, nemo erit, spero, qui ei concedat. Mirum præterea est, VV. DD. persuadere sibi potuisse, regiæ virgini stante adhuc patria revera periculum fuisse, ne f. me moreretur. Quid multa? locus aliter distinguendus est:

Καλουμένη δὲ φοιτάς, ὡς ἀγύρτρια
*Πτωχὸς τάλαινα λιμοθνὴς *), ἠνεσχόμην.*

*Furiosa vocari sustinui, quasi circulatrix essem mendica, misera, fame confecta **)*. Cfr. 1167 sq. (1194 sq.):

Ἥμαρτον, ἢ θηρῶ τι τοξότης τὶς ὥς;
Ἢ ψευδόμαντίς εἰμι θυροκόπος φλέδων;

---

*) Nescio unde λιμόθνης in editiones irrepserit; sine dubio hoc vocabulum, quod alibi occurrere non videtur, ὀξύτονον est ut ἡμιθνής (Aristoph. Nub. 504 Br., Thucyd. II. 52, 2 Popp., Herodian. Hist. IV. 9. pag. 93, 8 Bekk., Pollux VI, 37, 169) et νεοθνής (Plat. Leg. IX. pag. 865 D., Timæi Lex. s. v. pag. 185). Sed etiam alibi in hac fabula accentus male positi reperiuntur; sic v. 576 (590) Wellauer cum aliis φρυκτώρων: recte Schütz φρυκτωρῶν, cfr. Thucyd. VIII. 102 et Gœttling. de Accent. pag. 72, 12 sqq. — In vs. 1305 (1332), de quo nunc nihil dicam, Wellauer cum aliis edidit δακτυλοδεικτῶν, sed explicat quasi legeretur δακτυλοδείκτων.

**) Eadem fortasse fuit Dindorfii sententia, qui in his versibus omnem distinctionem sustulit.

Vs. 1273 Well. (1300 Pors.).

Ὁ δ᾽ ὕστατός γε τοῦ χρόνου πρεσβεύεται.

Interpretes fere hunc locum cum Stanleio explicant: *At qui postremus moritur, vel ipso tempore alios superat*; quibus similia Schütz (qui tamen etiam τῷ χρόνῳ coniecit) habet: *Attamen, qui postremus est, aliquid certe a tempore lucratur*. Velim scire, quid hoc sit. Mihi dubium non videtur, ὁ ὕστατος τοῦ χρόνου esse fere idem quod ὁ ὕστατος χρόνος. In re nota (vid. Matth. Gram. Gr. §. 320 pag. 627 sq., §. 442. 2. p. 826 sq.) unum exemplum sufficiet: Herod. I. 24. τοῦτον τὸν Ἀρίονα λέγουσι, τὸν πολλὸν *) τοῦ χρόνου διατρίβοντα κ. τ. ἑ. Sic bene cohærent sententiæ: Casandra, *nullum*, ait, *est in temporis mora effugium* **). Respondet Chorus: *præstat* ***) *tamen extremum tempus*, i. e. præstat

*) Quod enim G. Burgess (Emend. in Herodotum, in Diario Classico No. XLIV. (Decemb. 1820) pag. 374 et Miscellan. Critic. I. pag. 764) præstare censet codicis Passionei scripturam τὸ πολλὸν τοῦ χρόνου, sine causa factum est.

**) Nam licet verba huius versus incerta sint, de sententia non videtur dubitari posse.

***) Cfr. Choeph. 622 (631): κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον λόγῳ. Plura vide ap. Blomf. in Gloss. ad h. l. et Monk. ad Eurip. Hippol. 5.

tamen vivere, quamdiu liceat. Tum Cassandra: *Venit dies; parum fuga lucrabor.*

Vs. 1451 sqq. Well. (1472 sqq. Pors.).

Ἐπὶ δὲ σώματος, δίκαν μοι
Κόρακος ἐχθροῦ, σταθεῖσ' ἐκνόμως
Ὕμνον ὑμνεῖν ἐπεύχεται * *

Difficultates, quæ in hoc cantico sunt, removere nequeo; sed mirum mihi videtur, recentiores fere omnes cum Stanleio in Cur. Sec. et Schützio dedisse σταθεῖσ', ut hoc ad Clytæmnestram referretur, quum tamen ex huius responso: *Νῦν δ' ὤρθωσας στόματος γνώμην, τὸν [τριπάχυιον] δαίμονα γέννας τῆσδε κικλήσκων*, patere videatur, de dæmone dixisse chorum. Nam quod Bothe ait, sic senes fere idem dicere, quod infra 1476 sqq. (1497 sqq.) Clytæmnestram, me non magnopere movet, cui Clytæmnestra hic videatur chorum placatura ex illius oratione ea repetere, quæ ad ipsam excusandam valeant. Præterea neque ista Clytæmnestræ cum corvo comparatio mihi tanto opere placet, quanto Schützio et Butlero, quum corvi cadaveribus non tam *adstare* quam *insidere* soleant, neque istum ὕμνον invenio in Clytæmnestræ verbis 1366 sq. (1393 sq.):

*Ὡς ὧδ' ἐχόντων, πρέσβος Ἀργείων τόδε,
Χαίροιτ' ἄν, εἰ χαίροιτ', ἐγὼ δ' ἐπεύχομαι.*

Sed cum corvo recte comparari videtur dæmon, cuius imaginem Æschylum sibi informasse puto non dissimilem τῶν Κηρῶν apud Hesiodum Scut. 252 sq.

Ὃν δὲ πρῶτον μεμάποιεν
Κείμενον ἢ πίπτοντα νεούτατον, ἀμφὶ μὲν αὐτῷ
Βάλλ' ὄνυχας μεγάλους *).

Itaque restituendam censeo veterem scripturam σταθεὶς. Sed neque de dæmone neque de Clytæmnestra ferri posse puto tertiam personam in ἐπεύχεται, cuius loco quod Canterus coniecit ἐπεύχεαι, ut in malis cum Vossio probo.

---

*) Inspice, si placet, Millin Gal. Myth. 120, 459. — Ceterum ὑμνεῖν ὕμνον Furiæ dicuntur Agam. 1164 (1191).